

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCCLV.**

**VD18 90538889**

XLIII. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Amaurosi.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

X L I I I .

D I S S E R T A T I O  
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

D E

A M A U R O S I .

Quam tuebatur

J O . B E N E D . G O D O F . O E H M E

S E R V E S T A - A N H A L T .

Lipſiae 22 Novembris ann. 1748.

Tom. II.

L 1



Landesbibliothek Oldenburg

DISSE EST AT TO  
MEDECO-CHIRURGICO  
LOGIA  
IUANA  
GOD OF HOME  
SE RE VA TA NA

11. 11. 11.



Landesbibliothek Oldenburg

## §. I.

**I**nster omnes corporis humani, etiam tenerrimas, injuriisque quam maxime expositas partes, nulla est, quae tam variis, tamque ingentibus casibus pateat, quam oculus noster. Nam praeter hoc, quod tenerrima ejus compages est, eo loco debuit à natura collocari, & ita poni, ut, nisi à levissimis malis, tutus præstari non posset, deberetque potius ab innumeris cauissimis male affici. Accedit partium, quae oculum component, numerus insignis, & mira, etiam fabricæ ratione, varietas, per quam cauflam ut permultos oportet, sic quoque diversos oculorum morbos oriendi. Qui cum per se magnam medentium attentionem desiderent, tum multo majorem propter periculum excitare debent, quod, ex oculorum lesione, non raro in reliquo corpore, per nervos subsequitur, quorum magnam in oculis vim esse, nemo ignorat. Alienum à scopo meo foret, omnia illa mala fusius recensere, quae in oculis incident, cum de illo tantum valetudinis genere quædam proferre animus sit, quod Amauroses, vel cataractæ nigrae, aut guttae serena nomine venit. Amaurosis ille affectus appellatur à græco verbo *αμαυρών* obscuro, quia aciem eripit, & hominem quasi in perpetuis tenebris versari facit. Cataracta nigra vero ideo dicitur, quia niger manet, naturalique simillimus pupillæ color, qui in omni alia cataractæ specie mutatus deprehenditur, aut potius, quia, qui sub pupilla vacuus & quasi niger locus est, illa diffusa, major apparet. Neque alia vocabuli gutta serena ratio est. Quæ enim humoris gutta à Celsio sub pupilla esse dicitur, in suffusione album, variegatum, viridescensem colorem habet, in hoc affectu paulo, quam in naturali statu, pellucidior & quasi serena est. Solet vero Amaurosis visus actio vel immunita, vel plane abolita dici, à motu nervi fluidi ex cerebro ad oculum vel cohibito vel plane intercepto. Quare etiam vix mutatus appetet oculus intuenti, nisi quod pupilla plerumque paulo, quam in naturali statu, sese ampliorem magisque diffusam ostendat; & si, sub vario luminis ingressu, pupillæ motus examinatur, illa vel parum mobilis deprehenditur, vel prorsus immobilis. Est tamen hac in re aliqua diversitas. Aliquando enim protinus ac videndi facultas periit, movendi quoque vis in pupilla tollitur [*a*], aliquando, lumine jamjam adempto, aliquis motus remanet, naturalisque ejus ad tempus servatur amplitudo. Interdum sensim hebes acies fit, interdum repente visu privantur homines. Quorum

[ a ] Pupillæ motum post cœcitatem supereffe , aliquando observatum est . Vid . *Act. Phys. Med.* Vol. I. Obs. 159. & *Manetus Bilioth. Chirurg.* Tom. III. Lib. XIII. p. 233.



hoc vix non semper accidit, si ab externis violentisque caussis hæ partes male afficiuntur: velut post graviorem capitis percussionem, casum ab alto, &c. Alterum ab internis potius causis proficiscitur, à liquidorum nimirum solidorumque, lente in corpore enatis, vitiis. Conqueruntur ab initio hoc morbo correpti, de debilitate & obscuratione visus, de moleculis oculis obversantibus, ac sensim magis, magisque videndi decedit facultas, in aliis ita, ut nihil amplius discernere valeant, in aliis vero, ut non nisi lucem à tenebris dignoscendi potestas maneat. Nonnunquam sine aliis symptomatibus hic morbus conspicitur, nonnunquam vero [b] capitidis dolor, vertigo, aurium tinnitus, somnolentia aliaque mala illum comitantur. Differt quam maxime Amaurosis a cataracta. In hac opaca conspicitur & præter naturam colorata crystallina lens, quæ in illa pellucida est, nullaque ratione mutata: pupillæ motus liber in cataracta est, in Amaurosi vix non semper vel imminutus, vel plane interceptus deprehenditur. Amaurosis interdum quoque per συμπάθειαν oriri, tumque causa hujus affectionis non ipsis male affectis partibus inhærere, sed in aliis, non parum aliquando remotis, querenda esse dicitur. Nam [c] hypochondriaci, hystericae aliquie, qui gravioribus spasmis facile torquentur, interdum huic malo fiunt obnoxii. Neque infrequens majum in [d] feminis est, quæ non nisi sub gravissimis nixibus edere partum potuerunt, & quibus lochia justo parcus fluxerunt. Accidisse vero etiam [e] gravidis legimus, & in quibus [f] menstrua purgatio per uterus non fit; in quibus, quia originem suam motui humorum turbato debet, non raro periodicum est, & modo invadit feminas, modo dimittit. Sed in his quoque casibus humores potius ad oculum concurrere, ejusque nervum comprimere, existimo.

## §. V.

*Sedes morbi exponi-  
tur.* Quæ autem Amauroeos natura fit, ex his parum constat. Nequé licet de ea dicere ante, quam cui maxime parti hic morbus insideat, declaratum fuerit. Atque non parum dolendum est, de nullo fere alio morbo tam paucas in mortuorum corporibus factas observationes haberi, quam quidem de hoc, præcipue cum, quæ factæ sunt, an non varia Amauro-

ro-

[a] Conf. Frid. Hoffmannus Med. Rat. Systemat. Tom. IV. Part. IV. p. 112. & Ad. Phys. Med. loc. cit. Obs. 171. p. 390.

[b] Vide exempla in Ephem. Nat. Curios. Dec. II. Ann. VII. Obs. 161. Dec. III. Ann. III. Obs. 81.

[c] Conf. Bartisch. in ophthalmod. p. 138. Norib. 1686. 4. Tulpius obs. Med. L. I. Obs. X. & Mauriceau observ. sur la grossesse cent. V. obs. 568.

\* [d] De hoc memorie aliquid tradidit Sennertus Prax. L. I. Part. III. Sect. II. cap. 67.

[e] Vide exempla apud Pechlinum Lib. I. obs. 42. & Frid. Hoffmannus Med. Consult. Sect. I. cas. 44.



roseos sedes sit, dubitare facere medentes debeant [g]. *Rofincius* in primis atque [h] *Briſſeus* humores oculi, præcipueque vitreum, in hoc morbo laborare contendunt, quoniam sive solutum, sive alia ratione mutatum in mortuorum corporibus, qui Amauroſi affecli fuerint, aliquoties repererint. De quibus observationibus, ut equidem non dubitem, tamen adduci me illis non patiar, ut non, niſi in vitro, Amauroſin residere credam. Ut vero de eo non dicam, quod ab aliis opticus nervus in hoc morbo correptis lœſus inventus fuit, ex hoc, quod Amauroſis omnem aſiem, magis, quam cataracta eripit, ejus ſedem, in ea parte eſſe debere, manifestum eſt, in qua proprie viſus efficitur. Quæ cum leuis crystallina non ſit, quemadmodum ex ejus curatione patet, an poterit vitreus humor dici, qui, præterquam quod oculi tunicas, præcipueque mollifimam retinam æqualiter in sphæræ partem extendit, fractos faltem collectosque lucis radios transmittit. Quare ſi vitreum vel solutum vel foliarem, ſimulque sive majorem juſto ſive minorem ponamus, debilitari quidem acies poterit, nunquam eripi. Neque illi ipſi Authores, qui huic humoris tantum tribuerunt, cum ejus vitio aliud retinæ aut aliarum oculi partium coniunctum fuifſe negant, ut adeo vitreum humorem probabileſt, ex Amauroſi potius contraxiſſe vitium, quam gravifimum hunc morbum produxiſſe.

## §. III.

Sed longe major eorum numerus eſt, qui opticum nervum, hujusque medullarem expansionem, quam retinam vocant, Amauroſi teneri dicunt. Atque de optico nervo res per experimenta affecta eſt, & memorabiles maxime caſus ſunt à [i] *Vefalio* [k], *Cheſfeldeno* & [l] *Sautorino* obſervati. De retina vero parum per observations conſtat. Quare olim fuerunt, & adhuc ſunt, qui quoniam choroideam non minus, quam retinam ab optico nervo procedere videbant, in illa potius, quam in hac ponere Amauroſeos ſedem voluerunt. Suntque hi illi ipſi, qui ut omnem fentiendi facultatem membranis nervorum, ita videndi choroideæ tribuerunt. Quare meum eſſe videtur, quo id jure dicatur, requirere. Fuit hæc fententia ut olim à [m] *Mariotto* proposita, ſic, noſtra ætate, præcipue à [n] *Le Cat* multis argumentis firmata. Ifque etiam omnem fentiendi potestatem ita medullari nervorum ſubſtantiae detraxit, ut pice

*Pice matris*  
*quo jure.*  
*fentiendi*  
*vis tribuātur.*

[g] Diff. Anatom. L. I. cap. XIII.

[h] Traité de la cataracte p. 213. ſqq.

[i] De Fabr. corp. Human. L. IV. cap. IV.

[k] Anat. p. 137. Ed. an. 1713.

[l] Obſerv. Anat. p. 64.

[m] Vid. opera *Mariotti* p. 496.

[n] Traité des Sens p. 395.



potissimum matri tribueret. Nolo equidem omnia arguienta hoc loco repetere, quæ ad hanc opinionem tuendam proferri solent. Ut tamen præcipua non omittamus, neminem ostendere posse, existimo, quæ in nervis medulla est, eam non ad finem nervorum pertingere, sed non procul à cerebro quasi desinere; quin potius papillæ nobis non nisi ex medullaribus fibris, quibus vascula interposita sunt, tanquam penicilli, formati esse videntur. Neque in experimentis; in vivis animantibus captis, pia matri major, quam cerebri medullæ, sentiendi vis inesse appareat. Atque in capitibus laesionibus, quando cerebrum premitur, movendi sentiendique vis in corpore non magis perditur, si pia mater cum medulla, quam si hæc sola comprimitur, quod ex evidenti exemplo se compertum habere Excellentissimus mihius nunquam satis devenerandus *Günzius* retulit. Deinde si pia mater, quatenus elastica est, sentiendi virtutem habet, atque cum reliquis partibus communicat, quomodo hanc tum in his, tum in nervo perire posse credibile est, qui ad has partes pertinet, si inter has atque cerebrum filo constringitur? Quod neminem in dubium vocaturum esse existimo. Contra ex hoc ipso experimento quam maxime manifestum est, sensum æque ac motum debere à liquido, quod per nervos movertur, provenire, cuius motus, filo nervo injecto, necessario intercipitur. Est vero de hoc liquido, ut opinor, ita disputatum, ut actum agere velle wideri deberem, si vere liquidum in cerebro parari, ex eoque per nervos diffundi, multis probare fusciperem.

## §. I V.

*Choroïdea oculi tunica videndi potestatem non habet, sed retinac.* Atque his quidem sentiendi facultatem à pia matre non provenire, effe-  
tum est. Ex quo utique colligere possemus, non majori jure choroideæ, interiori oculi tunicæ videndi potestatem tribui. Sed objici posset, si cor-  
pus humanum simpliciter per liquidum nervorum sentiat, ut eidem vi-  
dendi facultas insit, nullo modo necesse esse. Quare nunc etiam eorum  
sentientiam expendamus, qui choroideam potius quam retinam putant ad  
lucis radios excipiendos, imaginemque objecti ad cerebrum, tanquam men-  
tis domicilium, transmittendam aptam esse [o]. Qui cum inter alia hoc  
argumento nitantur, choroideam à pia matre productam esse, quæ sola  
sentiendi vim habeat, etsi *Winslowius* aliisque id negant, tamen lubenter  
concedimus. Neque vero aliam ejus membranæ originem esse, captis siue  
experimentis didicimus. Nervus enim opticus, ubi cum oculi bulbo coheret,  
aliquantum contractus est, ut dura piaque mater, quæ nervi me-  
dullam comprehendit, in scleroticam & choroideam tunicam, non ad rec-  
tum angulum explicetur, sed potius ad acutum. Quod nervo pariter atque  
oculi bulbo uno ductu dissecto manifestum fit, si dura & pia mater à ner-  
vo separata usque ad oculum producitur. Neque objici potest, tantam  
cho-

[o] Hoc in primis à *Le Cat* ostensum fuit loc. cit.



choroideæ crassitatem esse, ut, si cum pia matre optici nervi comparetur, ab hac profecta esse, dici non posset. Qui enim in hac exiguis vasorum numerus est, tam magnus contra in choroidea esse conspicitur, ut in hoc solo crassitatis diversitatis causam querendam esse, manifestum sit. Sed hoc quidem, ut videndi facultas choroideæ insit, haud efficit. Magis quoque ad hanc rem non valet, quod ex majori choroideæ firmitate atque elastica vi, præ illa retinæ, argumentum desumitur. Ut enim ejusmodi naturæ partes reliquis acutius sentiant, nonne à nervis ad eas pertinentibus pendet? Quibus nempe lino constrictis, sive præfectis, vel tendines ipsi non sentiunt, quorum sine dubio major, quam piæ matris, elasticitas est. Quæ si ejusmodi partibus, aut saltem nervis sentiendi facultatem conciliat, cum in dura matre longe major esse inveniatur, nonne naturam credendum est, scleroticam potius à dura matre productam, ita in oculo collocaturam fuisse, ut lucis radios exciperet, aut exteriorem saltim choroideæ laminam, quæ longe interiore firmior est, pupillæ adversoram fuisse, per quam lux advenit? Deinde lubenter credo, atrum choroideæ pigmentum ab externis objectis venientes lucis radios excipere & absorbere, utque reflecti imagines, eoque visus turbari non possit, impedit. Nam hoc ipso manifestum esse existimo, eosdem radios à choroideæ substantia arceri, utque in retinam solam agant, eamque commoveant, effici. Et sic quidem retinam cum vitro, choroideam cum amalgama, quod vitro in speculo subest, comparari posse, concedo. Urgent porro adversarii & hoc, visum tantummodo fieri, si lux in retinam incidat, qua choroidea subsit, si radiorum concursus in ea papilla fiat, quæ quasi ex medulla nervi procedat, plane nullum fieri. Ex quo experimento et si hoc sequi videtur, medullam nervorum in universum nullam videndi facultatem habere, tamen, ut in membranam explicata non habeat, certe non efficit; præcipue cum papilla illa confusa quedam medullæ massula esse videatur. Nunquam enim cum *Ravio* crediderim, hominem etiam per lingualem nervum, sive acusticum visurum esse, si in oculi fundo collocarentur [p]. Leve denique argumentum & id non est, quod ex pupillæ motu defumi solet, quæ in plena subitoque admissa luce contrahitur, in tenebris contra diffusa esse conspicitur. Quod cum simpliciter per lucem fieri videatur, atque uvea putetur anterior choroideæ pars esse, hæc proprie lucem sentire creditur atque videndi facultatem habere. Primum vero uveam choroideæ partem esse, tam parum clarum est, ut potius interiores utriusque laminæ, quæ tamen in choroidea proprie lucis radios deberet excipere, distinctæ, atque per ciliarem coronam, alii ligamentum vocant, cohærentes partes sint. Neque exterior choroideæ lamina videtur plane in uveam produci, verum utramque potius in albicantis circulo terminari vidi, qui proxime post corneam est, quique aptius videtur.

[p] Hoc præ ceteris clarus apud Parisienses ocularius medicus St. Trés usus est. *Tr. des malad. des yeux cap. VIII.*



detur ligamentum ciliare nominari posse. Sed uvea vere choroideæ productio sit, tamen huic videndi potestatem inesse nondum probatum est. Hæc enim tam parum debet cum simplici sentiendi facultate confundi, ut potius cum hæc toti corpori per nervos in universum insit, illa ne quidem toti oculo inesse cogitur; quod etiam de gustu valet, cuius sedes non nisi in dorso lingue, atque in margine est, sentiendi virtus in tota lingua. Atque singularem animadversionem desiderat hoc, cum in plena luce omnia clare, in tenebris fere nihil videamus, in his tamen pupillam æque multum diffundi, quam in plenissima luce contrahi. Quorum utrumque, præcipue tamen illud, cum sine dubio per fibras carneas fiat, quarum, quæ in circulum ductæ esse dicuntur, aciem nostram effugient, an id per lucem modo abundantem, modo deficientem fieri existimandum est? Adeo ne quidem sentiendi lucem potestas uveæ tunicae inesse videtur. Sed hoc quidem concedam. Videndi contra facultatem habere non potest. Alter enim cur hæc non, lente crystallina opaca facta, superfit, vix aliqua ratio futura esset. Atque pupillæ motum a ciliaribus nervis proficiunt, vel illi ipsi non negant, qui videndi virtutem choroideæ quam maxime tribuunt. Quare uvea lucem sentire, choroidea vero videre non deberet, quoniam a pia matre productæ, sed quia ciliaribus nervis instructæ sint; quibus proinde, non vero optico nervo videndi facultas tribuenda esset. Neque id pro�us improbabile fit hoc, quod, acie corrupta, tantum non semper motus pupillæ perditur, ipsaque perpetuo diffusa manet. Quo tanquam firmissimo arguento nituntur ii, qui choroideam videndi facultatem habere dicunt, qua nempe amissa, & uvea movendi se potestatem perdat. Sed hoc quidem in Amaurosi fieri, quia diffusa immobilisque pupilla est, tum quidem concesserim, ubi pupillam ostensum fuerit, per carneas fibras contrahi, non vero diduci. Ut vero multi inveniantur, qui circulares in uvea fibras esse negent, per quas nempe angustior reddi pupilla queat, neminem contra novi, qui in longum productas fibras, quæ sane quam maxime manifestæ sunt, adesse non dicat. Itaque diffusa pupilla, non protinus paralyticæ esse circulares uveæ fibras necesse est, possunt contra in longum ductæ spasmo correptæ esse. Acie vero corrupta, cum homo in perpetuis tenebris sit, quid minimum pupillam diffundi? Videtur enim oculus humanus ita constructus esse, ut cum pupilla nunquam non pateat, eo magis aperiatur, quo minus vivida lux sit, quæ sic plenius admissa tamen oculi interiora aliquantum moveat. Quod si quis fieri posse, non dicat, nisi, qui videt nervus, cum ciliaribus aliquem nexus habeat, ut libenter concedo, ita hos cum optico nervo, tum ubi cum ipso ad oculum proferuntur, tum ubi retina, inter ciliaris coronæ plicas, ad capsam lentis crystallinæ pertinet, cohædere posse, facile animo concipio.

§. V.



## §. V.

Hæc omnia ut videndi potestatem ostendunt, choroideæ oculorum tunicae nullo modo inesse, sic etiam Amauroeos sedem in ea ponit non posse, efficiunt. Neque exemplum hoc morbo affecti novi, quod a medentium aliquo litteris consignatum sit, in quo post mortem inciso choroideæ aliquod vitium inventum fuerit. Contra cum retina & optici nervi medulla est. Quamvis enim in mortuis corporibus inventæ affectiones plerumque in nervo optico fuerint, ut incertum videri posset, medullam ejus, an potius piam matrem mutaverint; tamen etiam nonnulla Amaurosi laborantium exempla habentur, in quibus, præter thalamorum nervorum opticorum, aut retinæ vitia lœsionisque, nihil inventum est. Sed hæc quidem ad cauſas Amauroeos spectant. Quare de his mihi nunc dicendum esse videtur. Earumque proximam non dubito in liquidi, quod a cerebro per nervos movetur, motu per opticum nervum retinamque prohibito: ponendam esse. Quod si quis ita interpretari velit, ut per hunc motum itum redditumque ejus liquidi intelligendum esse, existimet, non multum repugnabo, et si illud per nervos ad cerebrum refluere, utque de optico dicam, imagines eo deferre, vix credo. Amaurosin vero per proximam istam cauſam effici, per omnes illas res clarum erit, quæ a medentibus dicuntur Amaurosin produxisse, & quas proinde remotiorum cauſarum nomine venientes proxime recensebo. In quo ut mihi cum iis faltem auctoribus convenit, qui retinæ videndi facultatem tribuunt, ita me illis accedere non posse doleo, qui ut in nervis in universum, si sentiendi vis in aliquo membro periit, sic, si acies corrupta est, semper in optico nervo obstructionem esse existimant. Quod quidem ferri posset, si medendi viam ab hac cauſa non ducerent, aut potius in ea noui ita procederent, ut in medullaribus nervi fibris, vel etiam vasculis materiali quamdam esse videantur ponere, quæ per aperientia auxilia propelli possit. Itaque ut omnes a medentibus observatas cauſas conferamus, si ab unitate optici nervi retinæque soluta recedimus, omnes non aliter Amaurosin inducere posse existimo, quam quatenus vel alterutram harum partium comprimunt & liquido nervorum viam præcludunt, vel hoc quidem deficere & medullares canaliculos collabi faciunt; quas inter se plurimum distare manifestum est.

## §. VI.

Quatenus sibi his duabus cauſarum classibus liquido, quod per opticum nervum atque retinam moveri debet, via intercepta est, obstruc-  
tionem dici posse, in his partibus esse, fateor. Ea vero innumeris modis  
exempla doceant, Amaurosin a peregrino humore, ad nervum delatò,  
Tom. II.

M m

pea-

*De sede A-  
mauroeos  
in medulla  
nervi, epi-  
que cauſis  
in univer-  
sim expo-  
nitur.*



persepe oriri, an is nerveum liquidum mutet, atque subsistere faciat, an visum alia ratione tollat. Si alia viscera spectamus, in quibus liquidi cū-  
jusdam secretio fit, rarum est hoc in suis canaliculis subfiltere, hosque  
veram obstructionem pati, neque, nisi fere in illis, fieri videtur, in qui-  
bus ex sanguiferis vasis via in secretoria quasi recta patet, & spissus liquor  
est, ut lac in mammis, saliva in parotide, semen in testibus. Quare sive  
medullarium canaliculorum subtilitatem, sive liquidum, quo subtilius a-  
liquod ne quidem cogitari potest, longissimamque viam considero, qua  
ferri per nervos debet, nullo modo mihi probabile esse videtur, posse  
simile aliiquid in nervis accidere. Debent potius spissi nimis, impurique  
succii in vasculis piæ matris subsistere, ac nervei liquidi secretionem in  
universum impedire. Ad hæc tanta est sine dubio succi per nervos fluen-  
tis simplicitas, ut ipse facile cogi, mutarique sic posse, ut in via subsistat,  
non videatur. Quod si etiam possit, tamen an ullum auxilii genus  
sit, quod id vitium corrigere viaisque rursus aperire queat, vehementer  
dubito. Neque vero ex hoc, quod Amaurosis sœpe insanabilis est, colli-  
gi posse existimo, eam ipsam hujus affectionis frequentissimam caussam esse.  
Ea enim medullarium canaliculorum molleitas est, atque teneritas, tamque  
lentus nervi liquidi motus, ut nisi comprimens illos caussa cito tollatur,  
tantam eorum debilitatem oporteat, eumque collapsum manere, ut dis-  
tendi rursus, a parce lenteque affluente succo, non queant. Igitur ut  
unam ex præcipuis Amauroeos causis ponam in iis quærendam esse,  
quæ sive retinam queunt, sive optici nervi medullam comprimere, ac  
nervi succi liberum motum impedire, non longa probatione opus esse  
videtur, fieri id posse tum ab iis rebus, quæ his partibus extus præter  
naturam accumbunt, tum quæ earundem substantiæ inhærent. Arteriolæ  
enim, quæ magno numero in involucris pariter ac substantia nervi op-  
tici sunt, vel nudis oculis patent, & nimis nota illa per axin ejusdem  
nervi producta, indeque ramos per retinam effundens arteria, est quam ut  
ejus descriptionem ex [ a ] Eustachio debeam, atque ex [ b ] Morgagnio re-  
petere. Ad quæ vasa si noxiis humores concurrerint, quod in aliis quo-  
que partibus frequentissimum est, comprimi nervum viamque succo ad  
oculum præcludi necesse est.

## §. V I I.

*Amaurosis*      Quæ igitur de noxiis humoribus dicta sunt, age etiam evidentibus exem-  
*a compres-* plis declaremus. Utque morborum, qui in aliis partibus incident, non  
*sione medul-*  
*le nervi o-* infrequens caussa scabies est, si male & reprimenter curata fuit, sic  
etiam

[ a ] Tabul. Anat. XL. Fig. I. F. II. C. III. D. Ed. Alb. & de Multitud. cap.  
XXXII.

[ b ] Epist. Anat. XVII. p. 300. sqq.



etiam Amauroseos. Scabiei vero & alia cutis vitia, quæ in ejus exul-<sup>ritur, ab</sup> ceratione consistunt, ut achores, porrigo, herpes addi possunt; qualia <sup>bitueribus</sup> exempla [a] *Ephemerides Nat. Curios.* [b] *Sennertus,* [c] *Georg. Wolf.* <sup>ad vasaner</sup> *Wedelius* & [d] *Ch. Jo. Langius* habent. Celeberrimus quoque, quem <sup>vi concur</sup> nunquam non summa nomino reverentia, *Günzius* ante quinque annos <sup>rentibus,</sup> sartorem vidit, cui ex scabie, per reprimientia curata, visus sic hebes factus fuit, ut lentijs quidem crystallinæ nulla mutatio fieret, pupilla vero inciperet motum perdere, atque immobilis fieri. Quodque ex hoc ipso manifestum esse debet, omne ulcus, cui nondum purgato, reprimientibus impositis, cicatrix inducta fuerit, Amaurosin facere posse, id vere fieri, experimentis quoque confirmari potest. Præcipue autem id eorum ulcerum sanatione fit, quorum quædam quasi *confuetudo facta* est. Quorsum à [e] *Foreſto* atque [f] *Timo* à *Guldenklee* memorata exempla spectant. Magna etiam frigoris subito ad calefactum & infudans corpus admissi vis est, quod divertere humores, ut sæpe ad oculi exteriore parts, sic interdum quoque ad retinam nervumque opticum cogit, vel etiam commotos succos, fortiusque in minores fistulas impulsos adactosque subsistere in iisdem facit. Neque absimilis catharri ratio est, quo repente cohibito Amaurosin ortam esse, tum olim [g] *Hildanus* observavit, tum nostra ætate [h] *Fridericus Hoffmannus*. Hæc tamen ad noxiiorum humorum exempla non pertinent. Alter cum arthritide est, quæcumque etiam ejus sedes sit. Is enim, qui hunc morbum humor constituit, quia ligamentosis locis assuetus est, si mobilis factus recipere se ad aliam partem cogitur, non raro ad nervosas concurrat. Quare non mirum est, Amaurosin ab hac quoque causâ provenire, cuius rei nuper in femina quadam observatum exemplum Excellentissimus omnique pietate colendus *Günzius* mecum communicavit. Hæc vero de noxiis humoribus sunt, qui, dum alia via ex corpore exhibant, per malam curationem ad retinam, & optimum nervum concurrere coacti sunt. Interdum quoque per se concurrunt, neque tamen alias partes dimitunt. Idque in iis præcipue fit, quorum humida ex impura venere vitium contraxerunt. Confirmat hoc [i] *Boneti* observatio, cui, si necessarium esset, plures possent ex recentioribus addi. Est vero eorum quoque, qui vel secundum, vel non contra-

na-

[a] Dec. II. An. VIII. Obs. 116. &amp; Cent. VIII. p. 303.

[b] Prax. L. I. Part. III. p. 226.

[c] Diff. de Amaurosi p. 17.

[d] Operum Part. II. p. 316.

[e] Observat. Lib. II. Obs. 35. p. 43.

[f] Caf. Med. L. I. Cap. 28.

[g] Observ. Cent. V. Obs. XX.

[h] Med. rat. system. Tom. IV. P. IV. cap. 4. p. 122.

[i] Sepulchr. Anat. L. I. Sect. XVIII. Obs. XXIII.

M m 2



naturam, per certa loca procedunt, humorum ratio, si vel casu, vel arte cohibentur, & Amaurosin legimus per sanguinis ex naribus, ex ani venis, ex utero fluxum, subito repressum, ortum. Quod etsi accidere diximus, si in retinæ & optici nervi vasculis humores subsstant, tamen inflammationem non supervenire debere, ut vere non venit, tum ex doctrina de obstructione in universum clarum est, tum ex vasculorum subtilitate, in quibus subsistens humor nervi medullam comprimit. Interdum tamen & inflammatio quædam, saltem ab initio, accedit. Ex utero, cum, præter sanguinem, in puerperis, & impurus foetusque humor fluat, ab hoc quoque retento cohibitoque scimus Amaurosin interdum ortam esse. Et hæc quidem ad periodicum malum spectare videntur, de quo ab initio (§. I.) dictum est. Humida vero corporis, ut per alias quoque causas ad oculum concurrant, atque in optico nervo subsstant, effici potest. In quarum numero non improbabile est, & vomitum & sternutamenta habenda esse [k], quæ opticum nervum subito resolvisse legimus [l]. Nodus etiam, quem in difficultiore potissimum partu feminæ edunt, protinus aciem eripiisse fertur. Ante quatuor septimanas Experientissimus *Günzius* quoque de puerpera consultus fuit, quæ proxime post partum lumen amiserat. Fortassis tamen hæc omnia nervum simpliciter infirmando laxando que Amaurosin faciunt.

## §. VIII.

*Amauro-*      *Æque frequens, fortassis quoque frequentior guttæ serenæ cauſa illa*  
*ſin com-*      *compreffio eft, quam corpora externa faciunt, ſive cerebri partem aut*  
*preffio facit*      *retinam, ſive in optico nervo cum medulla etiam membranas afficiant.*  
*nervi opti-*      *Ut à retina incipiamus, etsi eam durior oculi tunica, & ipsa orbita ossea*  
*cii, etiam ab*      *tueri videntur, tamen quia tenerima ac molliflora eft, potest, vel à le-*  
*externis*      *cauſis or- vissimis cauſis, comprimi. Inter quas ſi sanguinem retulero, in choroi-*  
*ta.*      *deæ vasculis ſubſtinentem, facile fidem inventurus ſum, quia partim id*  
*rei natura docet, partim in choroideæ inflammatione viſus turbatus ac*  
*fere nullus eft. Neque tamen, quæ hujus affectus alia cauſa allegari po-*  
*fit, viſeo, liquide choroidea videndi facultatem non habet. Idem ab*  
*altera parte vitrea ſubſtantia facere potest, ſi paulo turgidior fit. Sclero-*  
*tica enim facile non cedit. Et fortassis talem vitrei mutationem [m] Bo-*  
*netius intelligit, quando Amauroſin à vitreo ſoluto ortam deſcribit. Neque*  
*pro-*

[k] De vomitu vid. *Hildanus* Cent. V. Obf. XIX. & *Guldenklee* L. I. Ep. 20. p. 488. De sternutamentis autem conferantur *Platerius* Prax. Lib. I. p. 239. *Hildanus* Cent. I. Obf. 24. *Hagedorn* Observat. Cent. I. Hift. LV. & 10. *Cbr. Langius* de Sternutator uſu & abuſu §. 52.

[l] Vid. *Eph. Nat. Cur. Dec. II. An. IX.* obf. 81.  
[m] Loc. cit. Lib. I. Sect. XVIII. obf. XVI.



probabiliter aliud vitrei vitium fuit, quod in mortuorum corporibus [n] *Rofincius & Briffus* invenerunt, & pro causa Amauroeos proposuere. Neque tamen visum negavero hebetem reddi per hoc posse, quod minor contractusque factus vitreus humor sit. Propter hoc enim complicatam & rugosam quasi retinam fieri necesse est; quod sane turbare visum debet, utque objectorum imagines minus recte exhibeantur, efficere. Sed haec quidem ad retinæ compressionem spectant. Eadem debent non quidem ex cerebri, sed ab illius cerebri partis compressione consequi, quam thalamos nervorum opticorum nominant. Et si enim cerebro presso utplurimum & acies perditur, tamen & alii simul sensus pereunt. Atque circa thalamos non raro in ventriculis cerebri anterioribus vel lateralibus aqua effusa reperitur, quæ, si [o] Boneto credimus, aciem interdum hominibus eripit. Neque sinunt nos, quæ de aliis sensibus per hanc cauſam vel ablatis vel hebetioribus factis idonea exempla habentur, dubitare. Idem oportet, ac forte certius, ex tumoribus, sive cysticis, sive aliis consequi, qui thalamis incumbunt eosque premunt. Talem tumorem [p] *Platerus* in homine invenit, qui quoniam Amaurosi laboraverat, neque alia caufa, cui hic morbus tribui poterat, inveniebat, recte creditus fuit, non nisi propter eum tumorem, in hunc morbum incidisse. Addunt huic sententiæ pondus aliquod ea exempla, que de similibus cauſis habentur, quæ, quod nervos opticos comprinebant, Amaurosin induxerunt. Inter has ex frequentissimis sanguis aut quoque aquosum humidum est, quæ iactu capiti illato, ex disruptis vasis effundi solent, vel per aliam cauſam exire. Manifestum est in hoc casu visum sensim minui debere, in illo protinus tolli. Ut alia exempla omittam, habentur quædam in [q] *Ephemerid. Nat. Curios.* & apud [r] *Wepferum.* Memini etiam Excellentissimum atque celeberrimum *Günzium* in chirurgicis prælectionibus exemplum feminæ attulisse, in cuius dextro oculo Amaurosis repente orta sit, postquam in fronte os circa apophysin orbitariam ejus lateris externam, ferrea trabs incidenter. Quia circa illum locum, sed intus, prementis cuiusdam rei, tanquam ponderis, sensum habuerit, aciesque per vacuantia auxilia pariter, ac discutientia reddita fuerit, illo ponderis sensu simul ablato, sanguinem effusum fuisse judicabat, qui nervum opticum comprinendo, Amaurosin concitataverit. Quod antea de tumoribus dictum est, qui cerebrum & thalamos nervorum opticorum comprimendo, eundem morbum produixerint, id de iis quoque valere debet, qui nervum opticum premunt. Nolo de impura venere dicere, ex qua ossa interdum prope nervum opticum intumes-

[n] Vid. §. II.

[o] Loc. cit. Obs. XI. XII.

[p] Obs. L. I. §. 108. vid. quoque *Bonetus* loc. cit. obs. I.

[q] Cent. I. p. 127.

[r] De Apoplexia Hist. IV.



mescunt. Interdum molles tumores circa hæc loca oriuntur. [s] *Bonetus* in cæco aliquo vesicam invenit, limpida materia plenam, quæ opticis nervis, ubi ante infundibulum congreguntur, incumbebat. Videtur hic tumor ex cysticorum numero fuisse. De stenomate memorabilem observationem à sèp̄ius jam laudato Excellentissimo *Günzio* accepi, cum quo *Bingius*, medicus & chirurgus Hafniensis communicavit. Juvenis fuit, cui adversa valetudine diu utenti oculi subito occæcati sunt, tandemque vita extincta. Ubi corpus post mortem incidebatur, præter stenomata quædam super costas, & intus in pectoris cavitate atque pulmonibus reperta, duo inventa in capite sunt, ovum columbinum magnitudine superantia. Offa frontis, qua orbitam facit, & cribiformi laminae utrinque incumbentia, nervum etiam opticum velabant, & comprimebant, a quo proinde Amaurosis videbatur orta esse. Offa tamen quibus incumbebant, eroſa ſimil, ac fere consumpta inventa sunt. Ad hanc cauſarum clafſem dicuntur & superciliorum vulnera referri debere, per quæ [t] *Valſalva* vidiit Amauroſin ortam eſſe. Existimant enim, nervo ophthalmico irritato, oculi musculos ſe vehementius contrahere, & nervum opticum premere. Quodcum *Valſalva* ratione annuli fieri putaverit, quem circa opticum nervum musculi faciunt, quemque vel *Morgagnus* nullum eſſe ait, parum opinor huic cauſæ tribuendum eſſe. Plus ciliarium nervorum cum optico nexui tribuerim, qui ex parte videntur ab ophthalmico ner-vo proficiſci.

## §. I X.

*Oſſenditur*, De his igitur cauſis inter omnes conſtat. Minus de debilitate ac ſiccitatem modo retinæ atque nervi, a quibus Amauroſis æque ſæpe oritur. Debilitas *Amauroſis* in nero ipſo eſt, ſive medullam velis, ſive membranas, ſiccitas liquidi ex debili- defectum indicat, tum quod in nero medulla eſt, tum etiam quod in tate ac ſiccitate reti- membranis. Ex uno tamen alterum ut plurimum ſequitur, ut totus ner- ne & ner- vi optici o- que ſolidis ineſt, plurimum ad ſuccos noſtros movendos valet, qui & riatur, contra vaſa flexilia ſervant, atque ad motum stimulant. Quare ut hiſ deficientibus arida rigidaque ſolida fiunt, ſic vi horum infirmata, & humida deficiunt. Muſto autem veriſimilius eſt, utrumque vitium non in me- dulla, verum in membranis optici nero rēſidere, ex quibus vascula etiam ad medullarem ſubtantiam pertinent. Ut prium de nero debilitate dicam, ea interdum a parentibus, aut faltem conuatum vitium eſt, non, ut protinus, ac quis natus eſt, cæcus ſit, ſed viſum hebetem habeat, qui ſenſim in Amauroſin deſinat. Tale exemplum ſibi in juvene viginti quinque cir-

[s] loc. cit. Obs. II.

[t] Difſert. Anat. II. Conf. *Morgagnii* Epift. XVII. & XVIII. & III. *Platneri* Programma de vulneribus superciliis illatis Lipſ. 1741.

circiter annorum , ante tres annos occurrisse , quem sicut alterum parentem observo & diligo , Celeberrimus *Günzius* narravit . Ejus pater quadriginta circiter annos natus sensim aciem perdidit . Ipse a pueritia debiliore visu laborans jam duodecimo anno sinistri oculi usum perdidit , dextri minui sensit , sed tardius , ut quando ea , quam dixi ætate , moriebatur , aliquis ipsi lucis sensus supereret . Magnam nervos debilitandi vim habent vehementiores animi affectus , præcipue ira & terror . Qui quod spasmos , ut in omnibus partibus , sic præcipue in nervis concitant , tum humida corporis agitant , tum elementorum in solidis partibus nexum ita mutant , ut ad fluida efficaciter propellenda ineptæ fiant . Horum vero per se paulo difficilior per nervos motus esse debet . Fuerunt igitur tum in [ a ] *Ephem. Nat. Cur.* tum a [ b ] *Frid. Hoffmanno* exempla hominum annotata , qui sibi per animi affectus videndi potestatem quasi ipsi eriperunt . Idem [ c ] *Hoffmannus* homines vidit , qui , quod Venere præter modum utebantur , in Amaurosin inciderunt , quo etiam in [ d ] *Ephem. Nat. Cur.* notata exempla pertinent . Erunt , qui hanc causam humida potius consumere debere , contendunt , quam solida laxa infirmaque reddere . Neque magnam spirituum vim ad seminis confectionem concurre , atque cum hoc profundi , improbabile est . Quis vero in venereo œstro totum quasi corpus convelli , eoque infirmari negaverit ? Præcipue memorabile est , præ aliis partibus caput affici , & oculos turgescere , atque torqueri , ut horum adeo nervis in primis fortassis vis inferatur . Huc etiam videtur Cosmeticorum usus spectare , a quo Amaurosin novi in illustri persona ortam esse . Neque tamen id omnibus Cosmeticis fieri posse , sciendum est , sed illis præcipue , quæ stuporem nervis inducere possunt , & succos tenuiores cogere . Sunt , qui Amaurosin per Cosmeticica dicunt potissimum per hoc induci , quod genis illita par quintum nervorum mutant , a cuius primo ramo musculi oculum moventes & nervos & movendi potestatem habent , de qua re superiore loco [ §. VIII. ] dixi . Fortassis & hoc aliquid confert , quod nempe Cosmeticum tum insensibilem transpirationem in facie fieri non sinunt , tum quoque unguinosum humorem non exire . Quæ de stupefacentibus dicta sunt . extus impositis , de [ e ] iisdem intus datis valent , præcipue si , per febris vim , solidorum robur jam fractum est . Probabile autem est , tum quoque obstructionem accedere , quam ex motu humorum vehementiore consequi oportet , si subito cohibetur . Vism etiam magna oculorum intentio hebetat , non quatenus musculi eorum per eam laxantur , sed nervus ipse . Omnim enim solidorum vis quasi frangitur , & paralytica fiant , si nimis diu , sine intermissione , exercentur

&amp;

[ a ] Dec. III. An. V. VI. p. 65.

[ b ] Med. Consultat. Sect. I. Conf. 42.

[ c ] Ibid. Sect. III. Obs. 104. p. 427. &amp; diss. de noxis ex nimio veneris usa.

[ d ] Dec. II. Ann. V. App. p. 76.

[ e ] Conf. Geisleri Diss. de Vomitorii p. 13.



& agunt. Neque alio modo videtur Amaurosis ex comitiali morbo & Apoplexia oriri. Non raro etiam non in nervo vitium, verum in succis est, quibus deficientibus nervus siccus fit. Idque tanto facilius fieri potest, quanto partim minori vi sanguis per nervi vascula movetur, & quanto haec ipsa angustiora sunt, magisque resistunt. Quare cur sanguine missa, caput in primis afficiatur, planum est. Excellentissimus *Günzius* virum quadraginta trium annorum videt, cui sanguine ex brachii vena missa, et si non animo linquebatur, neque alii sensus deficiebant, tamen videndi potestas ad quartam horae partem non erat. Eodem Celeberrimo Auctore Doctissimus mihius amicissimus [f] *Geislerus* virginis exemplum allegat, cui febre acutissima decumbenti, dum decima tertia vice sanguis ex pede mittebatur, oculi occaecabantur, & licet vita servata, tamen Amaurosis manebat. Probabile est, aliquid etiam febrem contulisse, qua, ut nervus infirmatus fuit, ita succi consumpti aut spissi facti. Neque alia sanguinis profusionum ratio est, sive ex naturali aliqua via, sive ex vulnere facta sint, [g] per quas Amaurosin ortam fuisse legimus. Ilque morbus ab aliis quoque tenuiorum corporis humani succorum nimiis evacuationibus proficitur. [h] *Heinricus ab Heer* & [i] *Stahlius* homines neverunt, quibus, cum corpus haberent variis cruditatum tenaciorum generibus repletum, sudoriferis datis, atque utilibus succis probabiliter expressis, acies erecta fuit. Crudos enim succos sciendum est, ut per sudoris vias expelli possint, prius solvi debere. Eaudem noxam hydrargyrum oculis intulisse novimus, salivæ fluxu concitato, & diu protracto, præcipue, si visus jam antea debilis fuit. Neque vero Amaurosis a liquidorum defectu in universum oritur. Cum non nisi tenuissimi succi per nervi vascula vehi queant, vel hos dissipari oportet, vel spissos reddi. Idque per æstum febrilem fieri posse manifestum est, a quo proinde [k] *Aetius* [l] *Timeus* aliquie narrant, Amaurosin ortam esse, idque per exempla confirmant. Eadem quoque vigiliarum & lucubrationum ratio, saltem ex parte, est. Has enim & nervos ipsos infirmare oportet. Utroque autem modo, eo magis nocere necesse est, quo plus nervi per diurnos labores passi sunt, tenuisque liquidi perdiderunt. His omnibus caussis lucem coruscans & splendentem, præcipue, postquam homo in tenebris diu fuit, subito admissam addendam esse, certissimum est. De hoc tantum disputatur, qualis perhanc caussam, in nervo vel retina potius mutatio sit. Proxime a vero abesse puto, magnam vim lucis succos, qui in retina sunt, dissipare, & mollissimam hancce mem-

[f] Ibid. p. 15.

[g] Vid. *Hildanus* Obs. Chirurg. Cent. VI. Obs. V.

[h] Vid *Heinr. ab Heer* Obs. IV. Cat. II.

[i] Diff. de Affect. ocul. p. 40.

[k] *Tetrabibl.* II. Serm. I. Cap. 124.

[l] loc. cit. L. I. Cap. 27. p. 60.



membranam aridam & exsiccacum reddere, ut Amaurosis oriatur, dum simul & humida consumuntur, & nervi vis frangitur. Quæ tandem de nigro pigmento dicuntur, eo deficiente hominem cæcum fieri, iis quidem fallaciam subesse opinor. Cum enim id ex choroideæ subtilissimis vasculis exsudet, febrilis æstus hæc vascula vix contrahet, atque pigmenti secretionem prohibebit, quin retinæ quoque & nervi optici vasa succosque eadem ratione mutet.

## §. X.

Amaurosin igitur tantum non omnes in insanabilium morborum numero *Quid in Amaurosi* habent. Neque vero spes illa sanationis supereft, si in nervo vel retina *Spe andum inducta* fuit, si a tumoribus est, quos tollere nulla arte possumus, inter *metuen- dumque sit, decla-* quos & vitreus referri debet justo turgidior factus. Curam etiam Amaurosis non admittit, quæ a parentibus contracta, vel a connato vitio & *ratur.* magna nervorum debilitate siccitateque est, neque repente orta, sed lente inducta fuit. Prudentis quoque Medici non est sanationem polliceri, cui acies jam inde a quatuor aut quoque sex mensibus erepta est. In quibus contra sanationis aliqua spes sit, ex his ipsis manifestum est. Maximam ii habent, quibus modo causa insuperabilis non sit, Amaurosis nuperrime orta est, quique corpus simul exsiccum non habent, atque crescendi finem nondum fecerunt. Promittere etiam iis aliquid licet, quibus non omnis videndi facultas ablata est, & qui eam vitiosis succis, propter ulcus male curatum, podagram repressam, sanguinis naturalem fluxum cohibitum, ad oculum convergis, perdidunt, modo non humida in toto corpore corrupta, aut hoc ipsum mali habitus sit. Quæ tamen a venera lue est, ut hæc ipsa, sanari potest, nisi in osse tumores natint, qui nervum compriment. Denique & illis spem facere licet, quibus sanguis vel serum, præcipue tamen sanguis, per iectum capiti illatum, effusus nervum comprimit. Tamen & in his omnibus aliquid, quod fallere queat, esse, tenendum est.

## §. XI.

Quo longior in caussis exponendis fui, eo brevior in iis declarandis ero, *Curatio, quæ ad gravissimi hujus morbi curationem spectant.* Neque a me aliquis *qutalis con-* postulaverit, ut de meo hoc loco aliquid novi afferam. Hoc vero planissimum est, quod superiore loco jam indicavi, medendi vias non nisi a *veniat, ner-* caussis guttae serene trahendas esse. Ex quo varias esse debere consequitur. Ut igitur a nervi compressione incipiam, quam ad ejus vasa factus *vo ab bu-* humorum concursus facit, sive boni, sive vitiosi succi sint, sive natu*moribus* *compresso,* rali aliqua via, aut per morbum facta, male occlusa, repressi fuerint, *qui in ejus* *vasis subfy-* semper eo est annitendum, ut per vias illas, rursus apertas, exitus humo*tunt.*

Tom. II.

N n

ribus



ribus detur. Idque per ea potius fit: quæ, si ulcus aut simile quid fuit, partibus olim affectis, quam oculis admoventur, inter quæ fotus, frictio cucurbitæ, scarificatio, epispastica, & cauteria sunt. Ut plurimum tamen simul quoque in sanguine plenis venæ sectio, in laxi fungosique habitus corporibus hydragoga purgantia, quibus & mercurius dulcis addi potest, atque urinam cinctia convenient. Neque alia millepedum vis est, quæ animacula non domestica, sed sylvestria & viva debent in jusculis assumi. Pulveris enim nulla vis est. His extus impositæ cantharides addi possunt. Simul tamen medentes semper ad vitii genus, quod in humidis est, respicere oportet. Nam his omnibus nihil proficerent, si humida per impuram venerem corrupta essent, quæ non nisi per hydrargyrum corrigi, comperatum est. Sed de catharro etiam & perspiratione cohibita dictum fuit. Frustra aliquis his caussis sudorifera opponeret, nisi prius humorum copiam imminuerit. Quo ubi & vasis se contrahendi, & succis se explicandi libertas reddita fuit, cum fructu uti sudorem moventibus potionibus possumus. Oportet autem fervidam aquam radicibus lignisque aliquantum gummosis ac leniter aromaticis infundit, ut humida dilui ac solvi, vasa vero ad se paulo valentius contrahendum, & succos propellendos incitari queant. Si catharrhus fuit, & sternutatoria convenient, inter quæ sal volatile Ammoniaci siccum eminet, cui Olei Salviae Majorane aut similis, & Balsami Peruviani guttula addi potest. [a] Frid. Hoffmannus præ ceteris extractum ligni Guajaci resiniforme commendat. Sternutatoriorum vero, nisi ubi mobilis jam facta materia est, tutus usus non est. Praeter hæc humores ab oculo revocasse non sufficit. Ut visus perfecte restituatur, vel ut morbi reditus avertatur, sub finem curationis, ea addi oportet, quæ nervo debilitatem suam plene reddere possunt, qualia inferiore loco laudabimus.

## §. X I I.

*Amauro-*  
*fus cura-*  
*tio, quam*  
*retine, ce-*  
*rebro &*  
*nervo opti-*  
*co accum-*  
*bentia cor-*  
*pura pro-*  
*dixerunt.*

Minus auxilii supereesse & Amaurosis nullam medelam admittere, si vel vitreus turgeat, & retinam premat, vel a tumoribus nervum cerebrum ve comprimentibus orta sit, supra dictum est. (§. X.) Hydrargyrum tamen experiri licet, si venerea causa tumorem fecit. Ab hac enim, præcipue in perioiteo, ortos tumores per hydrargyrum interdum solvi legimus. Plurimum spei est, si ictus capiti illatus fuit, & sanguis circa nervum effusus. Quibus acies per hanc causam erecta est, cum apoplectis simillimi sunt, sanguinem patet ex late incisa vena, magna copia, effundendum esse. Idque primum semel aut bis, brevi temporis intervallo, in brachio, tum in pede, tandem, si res postulat, in jugulo fiat. Post hæc ad [b] Vomitoria decurrentum est, quæ [c] Sydenhamius quoque contra Apople-

[a] Med. System. Tom. IV. Part. IV. Cap. IV. p. 120.

[b] Conf. Geisleri Diff. de Vomotoriis p. 16.

[c] Oper. Tom. I. p. 507. ed. Genev. 1736. 4.



plexiam commendat, quibus solvi mobileque reddi, quod effusum est, potest, & vasa ad sanguinem forbendum incitari. Interdum & hæc repertere oportet, tumque corpus mineralibus aquis, quæ & vias aperiant, & vasa roborent, eluere, inter quas Egranæ, & Carolinæ thermæ præstantissimæ sunt. Neque tamen & Pyrmontanæ negligi debent. Quæ vomitum movent, ea post primam venæfectionem exhibere utile est, si laxum corpus: serofisque humoribus plenum est, atque si non tam sanguis, quam serum circa nervum subsistit. Quare etiam, si ex scabie repressa, vel ulcere quocumque male curato Amaurosis orta est, vomitoria convenient, si humida potissimum in toto corpore viscida sunt. In his casibus etiam æque ac sero effuso, ulcera, quæ arte sunt, Amaurosin sanant. Præstat tamen cutem in nucha lata acu pertundere, quæ plura lina xyloina trahat, quam vel fonticulos excitare, vel cutem cantharidibus exasperare. Hæc lina relinqu, & quotidie sic semel vel bis hoc illuc duci debent, ut ulcere exasperato, pus cietur. Hoc ulcus diutius servari debet.

## §. X I I I.

Hæstenus Amaurosis fere non nisi evacuantia auxilia desiderat. Quæ si *Medendi*  
quis etiam ad eos casus utiles esse crederet, in quibus nervi debilitas succo-  
rumque defectus est, vehementer erraret. Utque primam de nervi debili-  
tate dicam, nihil esse exultimo, quod vitium dissipare possit. Alter cum  
animi affectibus comparatum est, qui quod succos totius corporis commo-  
vent, nec raro corrumpunt, protinus alvum ducentia, tumque per Epi-  
crasim laxantia desiderant. His tamen & boni succi, facilisque digestionis com-  
modos, potum vinosum, corporis exercitationem frictionemque capitum, ad-  
di necesse est. Si Amaurosis post concubitum frequentiorem orta fuit, eadem  
victus ratio necessaria est. Tumque & chocolatæ & spissiorum jusculturum car-  
nis magna utilitas est. Balnea etiam proficiunt tum toti corpori, tum sigilla-  
tim capiti instillata. Neque sine fructu calidæ vapor oculo adhibetur, cui  
leniter aromaticæ herbae incoctæ sunt, & melissæ vel Reginæ Hungariæ a-  
qua, volæ instillata infri cataque, si oculo admovetur, ubi corpus bonis  
succis repletum est, hos ad oculum evocat, subireque iterum nervi vascula  
facit. Cum illa causa totum simul corpus infirmet, nunquam non iunctiles  
quoque succi adesse solent, ad quos purgandos tum ab inicio rhabarbarum  
aliquoties dari debet, tum quoque in ipsa curatione cæteris interponi. Vix  
etiam alia cæcitatis curatio est, quam oculorum nimia intentio fecit. Præstat  
tamen tum plenam lucem vitare. Lumen, quod quis per narcotica, &  
femina per cosmetica amisit, nulla arte videtur restituui posse. Experiri tamen  
in priori casu aquas Selteranas cum lacte licet. Aliorum medicamentorum vix  
ulla vis est. Neque ab his, verum a victus ratione præsidia petenda sunt,  
si succi in nervo deficiunt, qui facilius restituuntur, si totum simul corpus  
exhaustum est, quam oculus solus. Nam hoc fere in nervo oculi jam ante

N n 2

labem



labem fuisse, indicat. Si igitur sanguinis magnam profusionem Amatuosis fecuta, carnium jura, ab initio tenuia, sensim spissiora sic danda sunt, ut sepe quidem, sed parca manu exhibeantur. Inter haec quies necessaria, & æger in tenebris continendus est, donec repletum corpus paululum dimoveri possit. Idem vietus post vigilias nimias, aliorumque succorum profusiones conducit. In his tamen & lactis sive afinini, sive caprilli magna utilitas est, si aqua, præcipue minerali, temperatur. Reliquis cauissis omnibus frustra medicina opponitur, atque medentium est, in omni Amaurosi, serum auxilium supervacuum esse, cogitare, deque hac re ægros monere.

F I N I S.



Q U Ä S -



X L I V.

Q U A E S T I O  
M E D I C O - C H I R U R G I C A .

*Quam Praefide*

M. JULIANO BUSSON, M. D.

*Palam tuebatur*

ALEX. DIONYSIUS DIENERT,

*M E L D E N S I S ,*

S U B H A C V E R B O R U M S E R I E

*A N A B S Q U E M E M B R A N E T Y M P A N I A P E R T U R A*

*T O P I C A I N J I C I I N C O N C H A M P O S S I N T ?*

Parisis 4 Aprilis anno 1748.

N n 3

